

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Creacio siue creator e
cum fontibus primis

Considera septem in beneficio creacionis quod creauit te sine commodo suo cui psalmus ait: ←

Bonorum meorum non eges, sine merito tuo

quia nichil ante promeruit qui penitus nichil fuit.

Cogita qualem fecit secundum corpus egregiam creaturam,
secundum animam magis egregiam ut pote ymagine Creatoris insignem,
rationis participem, beatitudinis sempiternae capacem.

Considera et dominacionis potestatem.

Terror enim hominis super cuncta animantia imminere decernitur.

Considera ergo largitatis administracionem

quanta tibi largitus est ad sustentacionem, quanta ad erudicionem,

quanta ad consolacionem, quanta ad correptionem, quanta ad delectacionem.

Quid in gracias agas?

Bernardus in quodam sermone.

Cogita qualem fecit: nempe etiam secundum corpus egregiam creaturam,
sed secundum animam magis, utpote imagine creatoris insignem,
rationis participem, capacem beatitudinis sempiternae;

← porro secundum ambo simul prae ceteris creaturis maxime admirandam,
cohaerentem sibi incomprehensibili artificio, investigabili sapientia Conditoris.

Itaque tam magnum hoc donum, quam magna res homo. Sed quam gratuitum putas?
Planum est, quia nihil ante promeruit, qui penitus nihil fuit.

→ An postea sperabatur gratiam retributurus auctori?

DIXI DOMINO: DEUS MEUS ES TU, QUONIAM BONORUM MEORUM NON EGES (Ps. 15:2).

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Psalmum "Qui habitat"*, 14.1 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., pp.468-9, ll.23, 1-8).

Quanta tibi largitus est ad sustentacionem, quanta ad erudicionem,
quanta ad consolacionem, quanta ex hoc iam ad correptionem, quanta etiam ad delectacionem!

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Psalmum "Qui habitat"*, 14.2 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., pp.469-70, ll.28-29, 1).

→ Dignitatem siquidem demonstrat humanam non solum naturae praerogativa, sed
et potentia dominatus,
quod terror hominis super cuncta animantia terrae imminere decernitur.

Bernardus Claraeuallensis, *Liber de diligendo Deo*, 3 (SBO 3, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.121, ll.20-23).